



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 3. Cur Deus, maris dominus, quosdam sinat tempestatibus iactari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

274 *Cap. X. Maritimi, & sæculi mores,*  
*cas miseranda Sose peregrinatio terra marique*  
*sortita, cum sæculi huius tertius & quinquage-*  
*simus ageretur annus. reliqui ad centum, se-*  
*do agmine, rerum omnium inopes, diu er-*  
*rabundi, varijs casibus ad sex & viginti reda-*  
*cto numero, cum pro captivis haberentur, di-*  
*niq, ab nauiculario Lusitano, qui eboris mer-*  
*sandi causa, regionem eam a Mosambico pe-*  
*tierat, sestertijs in capita quaternis redempti.*  
*in ijs Pantaleon fuit, qui ante hoc biennium,*  
*exacta iam ætate, verum prævalens viribus,*  
*Olisipone subito nervorum stupore apoplecti-*  
*cus obiit. Caterum tanta Sosa calamitas lon-*  
*gè latèque vulgata misericordiam hominum*  
*cinit: cupiditatem & audaciam non immi-*  
*nuit. Hæc Petrus Maffæus.*

§. III.

*Cur Deus, maris dominus, quosdam suis*  
*tempestatibus jactari?*

Talia, cum omni familia sua, Sosa Em-  
manuel, terris jactatus & alto, pertulit.  
Ex quibus æstimare licet, diuinam poten-  
tiam, dominium, æquitatem, providenti-  
am. Quid enim ille vndipotens Neptunus  
cuius jura vel Æolus ausus est violare,  
quem Iuno decepit? contra cuius volun-  
tatem procella exitit? cui tanta ira, tantum  
quod

que vehementi oratione opus fuit, ad fluctus & ventos compescendos? quid potentia fingitur obtinuisse? Vno verbo Christus *imperavit ventis & mari, & facta* Matth. 8.  
*est tranquillitas magna.* Sine veri DEI nu- 26.  
tu, nulli ebulliunt fluctus, nulla maria vel tumescunt, vel quiescunt. Ille *vocat aquas* Amos. 5.8.  
*maris, & effundit eas super faciem terra:*  
*Dominus nomen est eius.* Hinc nemo con-  
queri potest. Equum est, quod cum re  
sua facit. Si causa alia deessent omnes,  
dominium solum sufficeret. Quis sceleris  
arguit videns aquam effundi ab eo, qui  
hauit, & haurire denuo potest? Si non  
modò feruum hoc crimine non arguis, sed  
ne illud quidem comuni vituperatione re-  
prehendis, quòd creaturam DEI inutili-  
ter perdat, cur ipsum aquarum Dominum  
vis in jus citare, si commouet maria, in  
quæ summam habet potestatem? Quan-  
quam multas præterea habet causas. 1.  
Putrescerent aquæ, si non commoueren-  
tur. Turbatio illis, est purgatio. 2. Sine  
ventis naues testudineo gradu procede-  
rent, vel omnino starent. Venti autem  
fluctus cient. Qui ergo optat ventos, pa-  
tiatur fluctus. 3. Crudissima gens est  
S 2 nauta

nautarum, & cum nauali turba, fax ple-  
rumque vltima hominum confluit, adna-  
ues, quas velut sentina grauat. Neque  
ipfi saepe vectores primarij ac nauium,  
domini vitijs suis carent. Alij ludis absor-  
bentur, alij ganeis, seu scortis. Alios E-  
risichthonia auri fames & auaritia insatia-  
bilis impellit ad nauigandum. Quosdam  
homicidij, aut grauioris facinoris con-  
scientia in naualem fugam conijcit. Hi  
omnes magnam partem rerum diuinarum  
obliti, periculis admonentur, vt opem cea-  
lestem implorent. Qua de caussa vulgare  
illud circumfertur: *Qui nescit orare, vadit  
ad mare.* Quod vel Echnici fecerunt,  
quanquam in eo decepti, quod Castores  
& Polluces, & Tritones, & nescio quas  
lignas Nereides & Glaucos in auxilium  
vocarent. Quam rem S. Spiritus stultitiae  
conuincit, dum ait: *Alius nauigare cogitans,  
& per feros fluctus iter facere incipiens, ligna  
portante se, fragilius lignum inuocat.* Melius  
fecerunt, melioremque Deum inuocarunt  
illi nauatae, qui in media tempestate clama-  
uerunt ad Dominum, & immolauerunt hostia  
Domino, & vota vouerunt. Quos recte plu-  
rimi pieque, & saepe salubriter imitantur.

Sap. 14. 1.

Ion. 1. 14.

qui naui, & sibi à naufragio metuentes, varia vota, si discrimen euadant, DEO faciunt. Et alij quidem peregrinationum, ad hunc vel illum Diuum, alij autem ieiuniorum, certis diebus, tolerandorum; alij elemosynarum in egenos erogandarum; alij ædificandorum templorum; alij perpetuæ castitatis; alij etiam religionis ingredienda. Ob hos tales effectus, an non vtilis censenda sint maris tempestates? Multorum contumaciam fregit naufragij metus. 4. Multos merfit mare, sed nocentes. 5. Quod si & innocentes talibus procellis inuoluuntur, compendium mortis habent, & doloris. Minor est cruciatus vndis absumi, quàm flammis. 6. Quem non curiositas nauibus auheret in insulas Fortunatas, aliàsque nouas terras; quem non cupiditas habendi alliceret, si nauigantes non periclitarentur? 7. Quæ gloria fuisset Danao Beli filio, qui nauem primus ex Ægypto in Græciam aduexit? quæ Iasoni & Argonautis? quæ Christophoro Colombo, si nauigatio periculis careret? Maxima virtutis laus est, discrimina non horuisse: & superasse, quod fuit cum periculo laboriosum.